



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

VII. De decimis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

liter obseruari , statuimus quod nullus notarius nostræ prouinciæ alicuius usurarii testamentum conficiat , seu vbi conficiatur intersit , nisi presbyter parochialis sit præsens , cuius est parochianus testator : & ante omnia si dictus presbyter postulauerit , quod forma fuerit dicti Concilii obseruata .

Si quis autem notarius dictæ prouinciæ contrarium scienter attentauerit , in ipsum per hanc nostram constitutionem excommunicationis sententiam promulgamus . Et ne parochiales presbyteri in tenore prædicti Concilii aliquo decipiuntur errore , volumus & mandamus , quod omnes præfati presbyteri tenorem dicti Concilii teneantur habere , & quod locorum ordinarii in episcopalibus Synodis annuatim per singulas diœceses celebrandis per se , vel per aliam personam sufficientem , dictum Concilium suo clero exponant , & aperiant ita clare , quod nullus habeat iustum causam ignorandi ea quæ continentur in eo .

## R V B R I C A VII.

Cum iure diuino & humano decimæ debeatur , & in signum vniuersalis dominii sibi ipsas Dominus reseruauerit , exactiōnem ipsarum præterire non possumus nec debemus , absque animarum periculo nobis subiectarum , & ecclesiarum nostrarum læsione enormi : proinde statuimus ut ecclesiarum prælati , & clerici vniuersi nostræ prouinciæ , quibus debentur decimæ de consuetudine vel de iure , sint solliciti exigere decimas ab iis qui

ANNO  
CHRISTI  
1286.  
qui eis tenentur, ac diœcesani ipsorum se pronos  
exibeant absque damno moræ in monitionibus  
& coactionibus inferendis: vt videlicet, monitio-  
ne præmissa canonica, excommunicent decimas  
non soluentes: nec negligant nec retardent quæ in  
hoc casu fuerint facienda de iure. Quod si aliquis  
contemnens decimas soluere excommunicationis  
fuerit ligatus sententia, & eam per mensem susti-  
nuerit animo indurato, contra ipsum contumacē,  
quoties diœcesanus fuerit requisitus, teneatur in-  
uocare cum effectu solicite auxilium brachii sæcu-  
laris. Si quis suffraganeorum nostrorum in execu-  
tione huius statuti fuerit negligens vel remissus,  
per suum metropolitanum, vel per Concilium  
prouinciale subsequenti tempore celebrandum,  
durissime redarguatur, & etiam puniatur.

### R V B R I C A VIII.

Ne ducatum præbeat cæcus cæco, casus, in qui-  
bus volumus solos adiri episcopos, per hanc no-  
stram constitutionem ecclesiarum rectoribus no-  
stræ prouinciæ intimamus: districte eis sub excom-  
municationis pœna mandantes, ne de his se vllate-  
nus intromittant, sed illos ad suum in his casibus  
diœcesanum remittant, qui in his vel eorum aliquo  
eis voluerint confiteri. Casus autem sunt hi, videli-  
cet, cum quis petit absolui ab excommunicatione  
maiori lata, vel inducta ab homine, vel a iure: item  
incendio & crimine publico; sicut in blasphemante  
Deum, vel sanctos: item in voto qualitercumque  
emisso: & cum illis, qui filios oppresserunt ex pro-

Concil. Tom. 28.

M m m m